Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1819
Quelle:
Copyright:

ſcriptarum margini Libri *Petri de Alliaco de Poteſtate eccleſiaſtica*, et *Joh. Gerſonis de Indulgentiis*. Sunt breves et numero tantum 13. nec magni momenti. *Petri de Alliaco* Liber editus eſt inter *Gerſonis* Opera P. I. *Pariſ.* 1606. p. 895. f. titulo: *de Eccleſiae et Cardinalium autoritate*. Opuſculum vero *Gerſonis* habetur ibi P. II. p. 349. De *Joh. Weſſelo* Groningano ✠ 1489. acri aevo ſuo abuſuum eccleſiaſticorum reprehenſore adi *J. Alb. Fabricii Bibl. med. et inf. lat.* v. *Joannes*.

XV. *fol.* 275. Epiſtolae binae *Davidis*, ut videtur, *Georgii* celebris Fanatici ad *Johannem a Laſco* reſponſoriae. Prior data eſt 2. *Maji* 1544. quo anno *David Baſileam* acceſſerat, *Johannes* vero in *Friſia Orientali Zwinglii* Dogmata promovebat. Excuſat ſe Scriptor hac epiſtola, quo minus *Johanni* petenti exponat rationem vocationis ſuae, et quis eum excitaverit. Initium eſt: *Emanuel per cuius Deum Deus nobiſcum. Gratia et pax &c. Quandoquidem non grauatus es eruditiſſime atque adeo nobilis domine Joannes a Laſco ad me omnium contemptiſſimum infimæque ſortis hominem tam humaniter ac fraterne ſcribere, idque inquirendæ vnitatis ac pacis iuxta veritatem ſtudio* &c. Ignarus erat latinae linguae *David*. En rationem, cur epiſtolam ab ipſo profectam ſuſpicer. Ad calcem enim illius leguntur haec: *Interpres. His reſpondetur prioribus tuis literis quæ jam paratæ ac ſcriptæ erant priusquam poſteriores ad Dauidem peruenisſent*. Reſponſum ad poſteriores eſt ſine die et anno, petitionique *Johannis* ſatis facit; ait namque Scriptor inter alia de Deo: *ſui ſpiritus halitum in faciem meam efflavit — et in me locutus eſt, Tu es ſeruus meus adeoque dilectus filius, qui omnem voluntatem meam perficies*. Quae certe *Davidis* ſomniis adprime congruunt.

XVI. *fol.* 281. *Summaria Ratio fidei totius Communitatis, una cum Clero Ciuitatis Pragenſis, Præſertim erga 4. articulos ſeu Veritates a Chriſto prolatas, et a primitiua Eccleſia obſeruatas*. Sunt vero hae. Primo: *ut quondam ipſe filius Dei Corpus et ſanguinem ſuum diſcipulis ſuis tradidit ad manducandum et bibendum, ſic cunctis fidelibus ab Eccleſię miniſtris eſt pie tradendum et fideliter miniſtrandum. Inſanum* hic audit Conſtantienſis Synodi Decretum, quo legem Chriſti in hac parte *impio more* damnauit. Secundo: *ut Sacerdotes Eccleſię Vicarij Apoſtolorum iuxta formam illorum in uoluntaria paupertate uiuere ſtudeant, temporalium rerum temporali dominio abdicato*. Tertio: *ut verbum Dei non ſit alligatum, ſed a Sacerdotibus et Leuitis idoneis libere et paſſim prędicetur*. Quarto: *Vt uniuerſa uicia publica mortalia per Rectores Politiarum et eos, quorum intereſt, a plebe fidelium ſtudioſius extirpentur*. Singula haec multis Scripturae locis urgentur. Initium eſt: *Vniuerſis*